

*cianus*: Idem ulcus secuit *Drexelius cap. V. de Christo moriente §. 3.*

Ecquis verò hæc talia hodie vel emendabit vel corriget vel planè etiam tollet domitor Hercules? Diffusus jam est olim suò diffusò sæculo ex præfecto Antistes Mediolanensis Ambrosius, quòd liquere potest ex *epistolâ ejus tertiâ*, quam ad *Simplicianum* scripsit super *Levit X. v. 16-20. Nihil peccare, solius est Dei; emendare, sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati*: id tamen est difficile in hæc vitâ hominum. Quid enim tam rarum, quàm ut invenias virum, qui seipsum coarguat & factum condemnet suum? Rara itaq; confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi ejus assertio. Repugnat enim natura, quia omnes sub peccato, & *qui carnem gerit, culpæ obnoxius est*: ergò repugnat natura carnis & illecebra sæculi innocentia integritatq;. Repugnat etiam verecundia, quia *erubescit unusquisq; propriam culpam fateri*, dum præsentia magis quàm futura cogitat. Studebat autem Moyses peccati vacuum reperire animam, ut exuvias erroris deponeret, & nuda culpæ sine ullo sui pudore discederet: Sed non invenit, quia citò impetus irrationabilis prævenit, & flamma quædam celerissimi motûs animam depascitur, atq; exurit ejus innocentiam. *Preponderant enim futuris præsentia, & violenta moderatis & plura paucioribus, & jocunda seriis, & asperis mollia, & tristibus læta, & illecebrosa rigidioribus, & præpropera tardioribus.* Hactenus Ambrosius, cujus verbis hoc præsens programma ob signabo.

Priùs autem de instituto nostro aliquid erit dicendum. Excutite, qui volueritis, superiora quædam mea Programmata, ubi CXCSimo invenietis, quod post detextum in *Et bic à purpurâ* filum Oratorium exorsi sint discipuli nostri *sindonem Rhetoricam* eòdem pertexere, idq; post absolutum *Inventionis Rhetoricæ* linipendium, in doctrinâ *Dispositionis* ab *Exordio* exorsos fuif.